S. 19.

DE

LATINORUM CLASSICI ÆVI SCRIPTORUM

PRÆSTANTIA

QUANTISQUE ITALIAM STUDIIS

EOS PROSEQUI OPORTEAT

ORATIO

NEAPOLI HABITA IN REGIA STUDIORUM UNIVERSITATE
IX KAL. DECEMBRIS MDCCCLXX

A JOANNE CAN.CO SCHERILLO

REGIÆ ACADEMIÆ
ARCHÆOLOGIÆ, LITTERARUM ET BONARUM ARTIUM SOCIO ORDINARIO
PONTANIANÆ ETC.

Cum primum Cathedra in eadem Universitate
ad latinas docendas litteras
post publicum candidatorum certamen
ex judicum sententia
ei fuerit demandata

NEAPOLI
TYPIS FIBRENIANIS
MDCCCLXX

Digitized by Google

Nihil unquam, Auditores humanissimi, tam praeter expectationem accidere mihi posse existimavi, quam ut ex meae vitae rationibus in hunc locum de humanioribus latinis litteris ad dicendum amplissimum ascenderem: hoc vero non mediocri me ipsum admiratione afficit, quod inde animos mihi sumendos ducam, unde ceteri fortasse perturbatione concuterentur. Cujus quidem rei causa non inde repetenda est, quod minime sentiam quam exiguae sint mei vires ingenii; sed hinc potius eam habeo, quod ex nobilissima hac doctissimorum hominum corona aliquid mihi splendoris adfulgere videtur, quo se ipsi conspiciendos exhibent; quodque vos ipsi, juvenes ornatissimi, pro ea quam fortasse fidem in me reponitis, usque adeo meis viribus stimulos additis, ut vestris explendis votis pene me satis esse arbitrer. Non equidem mihi tantum indulgere solitus sum, ut falsa pro veris, cupiditate quadam inconsiderata, complectar, nec sane diffiteor nequaquam hunc locum, quem tanta cum laude postremis hisce temporibus Ciampittus et Lucignanus obtinuerunt, antea vero Joannes Baptista Vicus, immortale illud patriae nostrae decus, difficillimum tuendo effecit, pure mihi esse adsignatum. Attamen num officio, quod huic stationi natura sua adnexum est, deesse possim? Ecquid aliud huc vos ipsi me monituri convenistis? jam vero muneri fungendo, quod ipsa haec

774

dies postulat, me adesse cernitis, eoque libentius quod nihil umquam mihi antiquius fuit, nihil ardentiori animo amplexus sum, nihil aeque carius mihi contigit, quam ut meam observantiam meumque obsequium latinis classicis scriptoribus impenderem, quibus interpretandis nunc demum ludus, qui decem jam annos interclusus fuerat, per me erit reserandus. At vero de classicis latinae linguae auctoribus verba facturus, quid aliud velim, quam ut in eorum amorem adolescentium animi excitentur? Quam quidem ad rem nihil opportunius esse puto, quam ut de eorum praestantia pauca disseram, quantoque studio sint colendi: quo forte pacto continget, ut qua diligentia nobilissimos scriptores interpretaturus aggrediar, vobis, amplissimi viri, in antecessum probem; quidve emolumenti meis auditoribus obvenire possit, juvenes ipsi, quo pollent acri ingenio percipiant. Reliquum est, Auditores optimi, ut pro vestra humanitate benignas mihi aures primum dicenti praebeatis.

I.

Nemini dubium est, quin plurimae ante populum romanum gentes rerum gestarum gloria ubique terrarum excelluerint. Quis enim Medos, Indos, Persas, Aegyptios nescit? Hoc tamen inter ceteras omnes nationes et populum romanum maxime interest, quod illae ruina sua obrutae jamdudum jacent; populus vero romanus, cujus excidium pro mole sua vastiori graviorique casu accidisse compertum est, ipse sibi superstes esse videtur; ita quidem ut absens majori admiratione universum terrarum orbem complevisse dixeris, quam praesens olim compleverit; eademque admiratio aetatis progressu et vetustate ipsa, quae omnia consumit et delet, in dies magis augeatur. Hujusce rei causas si animo expendas, haec certa tibi erit sententia: omnem cujusque gentis famam binis nominibus eisque dissonis

Digitized by Google

et secum pugnantibus oriri posse: altera quidem opes, magnificentiam, populos armorum vi subactos prolatumque quocumque modo imperium sequitur; altera ex ingenti aliquo beneficio in omne genus hominum collato ducit originem. Illa percellit sensus, haec animo excipitur; illa fortunae innititur, haec virtuti. Quapropter fato etiam discrepent inter se, necesse est. Illa enim fugax variisque vicibus obnoxia, temporis arbitrio intercidit; haec immortalitate alitur saeculorumque memoria viget.

At vero quis inficiabitur populum romanum utramque hanc famam obtinuisse? Illa tamen Romanorum celeberrima Respublica, quae fere in omnes gentes, lingua, moribus, cultu coeloque dissitissimas, victricia signa intulit, neutiquam ex imperio quod tam late protendit, consecuta est immortalitatem quam optaverat. Sero quidem, sed tamen barbarorum undique irruentium concursu impulsa est, labefactata dejectaque: ejus vero ab obitu ejusmodi fuerunt hominum mores, ut, ne si possent quidem, manum admovere vellent, ut revivisceret pristinamque sibi vindicaret dignitatem. Contra ea manet adhuc aeternumque manebit praeclarissimum illud beneficium, quo sibi universam hominum familiam devinxit, omniumque gentium posteritatem, veluti scriptos haeredes, ditavit. Quo quidem beneficio, quanta ei gratia habenda est? Quis enim luculentae haereditatis commoda expertus parentem aut patronum excidi sibi memoria patietur, queis optimam suae vitae conditionem refert acceptam? Cujusmodi autem haec haereditas seu beneficium fuerit, neminem fallit, opinor; classicos scilicet latinos scriptores fuisse.

Qua quidem in re hoc vobis, Auditores humanissimi, in memoriam revocate: tellurem quam incolimus, unde etiam quidquid ad nostram vitam sustentandam alendamque pertinet haurimus, nullo unquam anni tempore tristiorem aspectum faciem-

Digitized by Google

que squalidiorem, quam hiberno, intuentibus ostendere. Si quis enim naturae leges nondum usu didicisset; num non compagem rerum dissolutum iri, totumque mundum praeceps ruiturum, ingruente hieme, existimaret? Nec gramine, nec ulla segetum copia tunc solum virescit; frondibus exutae arbores, teterrima velut alicujus morbi vi percussae, pallescunt, nudi rigent colles, acuto gelu flumina ipsa consistunt. Interea nunc nive, nunc nebulis, nunc effusis imbribus, nunc ventis invicem decertantibus, tempestates, impetu facto, terram aggrediuntur, nunc eam ingenti fragore fulmina concutiunt, flammis micantibus exurere vasto incendio minantur, praecipitique casu urbanas quasque altissimas aedes montesque sublimissimos rescindunt. Quis maris procellas referat, quis naufragia, quis innumeras omnis generis calamitates? Maxima pars hominum, aeque ac armenta et pecus, frigore, fame, aegritudine laborant; aves aut mollius coelum quaesitum alio commigrant, aut gelu inediaque pene enecantur. Solem ipsum diceres oculos a terris avertisse, ne foedum hujusmodi spectaculum intueatur: tam exiguo temporis spatio, aliquantulum nebulosae lucis, quae vix longas tenebras noctis discutiat, velut invito animo, mortalibus praebet.

At vero quemnam fugit, naturam, optimam rerum omnium parentem, hiemali nempe tempestate majus opus moliri, quam ceteris aliis anni temporibus? Quidquid enim viriditatis et florum, incredibili quodam luxu et magnificentia, ver ubique exerit; quidquid maturae segetis et fructuum aestas affert; quidquid vindemiae autumnum mortalibus jucundissimum facit; tum quidem natura parat, quum hiemali tempore ipsa se colligit, viresque omnes intrinsecus congregat coagmentatque, ut suo tempore tot rerum miracula tantasque divitias in usum promat omnium animantium.

Hoc exemplo latinas litteras universo terrarum orbi a Deo Optimo Maximo paratas esse existimemus, ut quo diuturniori

graviorique labore conceptae essent, eo solidiores uberioresque fructus toti hominum generi afferrent. Et re quidem vera clarius est quam ut monitore indigeat, Romanos ab Urbe condita per quinque saecula litterarum gloria omnino caruisse. Praeclaras majorum res gestas publicis monumentis, rudibus quidem, ut primaeva illa aetas ferebat, nec artificio nec magnitudine conspiciendis interdum mandabant, interdum sacris solemnibusque diebus assignabant, saepius Pontificum inscribebant fastis; generatim vero quasi per manus traditas committebant memoriae, eorumque vivendi ratio magis ea intendebat, quae laude bonorumque existimatione digna essent, quam quae vanis laudibus animi jactanctiam excitarent inflarentque. Rempublicam enim magnam volebant, quod nisi bonis artibus, disciplina, modestia legumque reverentia obtineri non posse intelligebant. Hinc quidem factum est, ut celeberrimae immortalisque gloriae, qua deinceps apud omnes gentes latinum nomen meridiana luce splendidius clarescere coepit, causae non aliunde sint quaerendae, quam ex primoribus quinque illis saeculis. Tunc enim Romani a finitimis populis bello exagitati, tantoque illorum odio petiti, ut ad certum interitum sese impelli intelligerent, praeterea nullis fere curis rei familiaris administrandae impediti, omnem virtutem, consilium, omnesque conatus communiter contulerunt: ex quo accidit, ut primo inter vetustissimas gentes nova Romanorum gens adnumeraretur, tum ceteris vel nobilissimis praestaret, postremo omnibus populis et nationibus terra marique imperare videretur. Imperavit certe, quum tot tantasque nationes armis domitas beneficiis sibi devinxit, sapientissimis legibus ab immani feritate revocavit, pristinam temeritatem consilio temperavit, romanos mores illis intulit, romanumque eloquium cum iis communicavit, ut postea coalescerent in unum corpus, cujus caput, unanimo omnium consensu Roma repraesentaret.

Digitized by Google

Hoc igitur omnium totius orbis gentium testimonio statuendum est, Romanos prae ceteris omnibus populis, qui vel maximam dominationem in terris exercuerint, quam latissime protulisse suum imperium, tantumque fastigium attigisse, quo facilius inaestimabile culturae beneficium quam plurimis conferrent.

Quae si ad veritatis rationem sunt exquisita, prout nemo unquam dubitabit, profecto de latinarum litterarum praestantia atque utilitate causa jam acta est. Cum enim tralaticium sit, linguam, potiori autem jure litteras, quam simillimam imaginem referre uniuscujusque populi; tanto digniores utilioresque latinae litterae habebuntur, quanto ceteris populis Romani dignitate praestiterint, majoraque contulerint in omne genus hominum beneficia. Liceat sane recentibus aliorum populorum scriptoribus, linguae qua utuntur aut suavitatem, aut flexibilem indolem, aut vim, aut copiam laudibus efferre: latinum eloquium, classicorum auctorum opera, tantam suavitatem continet, quantam Catulliani Hendecasyllabi, aut Bucolica Maronis carmina praeseferunt: tam flexibilem indolem, quantam Caesaris Commentarii, Ovidii Elegiae, et Flacci sive Sermones, sive Epistolae exhibent; tantam vim, quanta ex Horatianis Lyricis carminibus, ex Crispo Sallustio, praesertim vero ex Tacito potest inferri; tantam denique copiam, quantam quisque in Livio, Tullio, Virgilio miratur. Qui quidem latini classici scriptores difficillimam hanc metam tam bene auspicato cursu tamque naviter attigerunt, ut ab eorum aetate (amplius decem et novem sunt saecula) plurimi eumdem callem sint ingressi, nemo autem eodem pervenire potuerit.

Duo tamen adhuc sunt quae in eorum legendis libris singularem faciunt admirationem, quamvis in commune ad omnes referantur latinos scriptores; scilicet ut eorum eloquio nihil omnino aut inveniri aut excogitari possit, quod nobilius splen-

Digitized by Google

didiusque gravitatem majestatemque exhibeat populi romani; et ad omnem sermonis pulcritudinem, seu animo concipiendam seu scripto referendam, tam exquisito sensu praediti fuerint, ut divina potius quam humana ope factum esse dixeris, eos ipsius pulcritudinis extremos fines statuisse, quos nemini unquam impune liceret praeterire.

Hoc igitur sine ulla controversia certum est, quemadmodum Roma omnium in toto orbe terrarum gentium, nobilissima et prope divina dignitate, Regina, tot populos suo imperio ideo adjunxisse visa est, ut eis cultum humanitatemque largiretur; romanos classicos scriptores et ejus majestatem, velut pro suo officio sibi repraesentandam sumpsisse, et divinae illius virtutis haeredes prodiisse, qua populos a barbarorum vivendi ratione abduxit, ut omni tempore eadem virtute nativam barbariem aut ingruentem, aut jam populis illatam discuteret. Quod quidem ex rerum eventu mirum in modum comprobatum est. Agmina enim barbarorum postremis Italiam temporibus depopulata, captis passim incensisque urbibus, romanum imperium diruerunt, sacrumque ignem illum cultus et humanitatis extinxerunt. Ecquid tamen? Ejus ignis quae supererant reliquiae (liceat mihi hac in imagine perseverare) tantum adhuc caloris diffundebant, ut aenea illorum hominum pectora emollire valuerint. Mitiores enim mores visi sunt induere, ut quod Venusinus de Graecis hoc de Latinis praedicaretur: Latium captum vicisse ferum victorem, barbarisque dominis nobiles artes civilis cultus intulisse. Ita sane: barbari undique irruentes ingentem illam romanae gentis molem everterunt. Num vero romanae reipublicae fato latini classici scriptores non superfuerunt? Per eos igitur romana virtus, non illa quidem militaris, unde saepe eversiones urbium, magnorumque exercituum interneciones caedesque immanes ortae sunt, sed civilis scilicet, plena sapientiae plenaque humanitatis, adhuc manet

Digitized by Google

aeternumque perseverabit. Eos tamquam nobilissima exemplaria animis erudiendis atque ad omnia studia humanitatis informandis ubique docti homines, ex maximis quibusque beneficiis a Deo in commune omnium bonum collatis, et habent et tuentur. Quaecumque demum sint litterae cujuscumque gentis, parvi illae quidem aut nihili omnino existimantur, nisi ad latinorum apprime classicorum scriptorum regulam exquirantur.

O incredibilem classicorum latinae linguae scriptorum virtutem! O laudem omnium hominum ore ubique terrarum praedicatam! Populus romanus confitetur nonnisi armorum vi suum in populos imperium late protulisse; plurimos etiam identidem ab sua fide defecisse, quos rursus armis opus fuerit ad bonam mentem revocare, ne posthac officium desererent. At classicorum latini eloqnii auctorum ultro sese homines subjiciunt imperio ac potestati, nec solum ex gentibus quas olim Roma in suam ditionem redegerat, verum ex illis etiam quas nunquam antea imperio suo complexa est. Quinimo Asia quae postremis demum hisce saeculis nobis omnino patuit (Romanos autem, si occidentalem oram excipias, latuit ex maxima parte), ipsaque duplex America, quam immortalis ille Columbus noster primus prodidit, veterique terrarum orbi velut novum orbem adjecit, quin se contra classicos latinos scriptores defendere conarentur, eos benigno vultu exceperunt omnibusque cumularunt honoribus. Populi inter se lingua, moribus, institutis, coelo differunt, quisque vero plurima praesefert ornamenta dignitatis, quae ita sibi asserit propria, ut nunquam ab aliis sibi eripi patiatur. Omnes tamen studium in classicos latinos scriptores ducunt esse primum suae dignitatis ornamentum, eosque tamquam humanitatis praeceptores et habent et eo nomine colunt quam maxime; ita sane ut ipsos dumtaxat ad omnes nationes pertinere, civesque omnium gentium possis affirmare. Quorsum enim Tullium, Livium, Caesarem, Virgilium, Horatium, Tacitum ma-

Digitized by Google

gis Germania sibi vindicet, quam quaevis alia gens, aut Anglia, aut Gallia, aut Hispania, aut ipsa America? Quae cum ita sint, quisnam de singulari classicorum latinae linguae scriptorum praestantia ambiget, quam omnes omni tempore populi concordi animo sunt confessi, docti homines praedicarunt, tot clarissima in orbe terrarum monumenta testantur?

II.

Quamquam vero hoc inter omnes convenit, in usum cunctorum hominum istiusmodi clarissimos latini sermonis scriptores ad summum litterariae gloriae apicem evectos esse; hoc tamen confitendum est, nullam gentem nisi italicam eos potiori, aut ut verius dicam, proprio sibi jure vindicare. Hoc enim perinde mihi certum est ac si affirmem, solem quidem ad effundendos radios suae lucis in omnes terras a natura rerum esse constitutum; coelum tamen esse ejus sedem, unde tam praeclarum et singulare sibi beneficium homines expectent. Cum enim summus honor qui illis impenditur, inde scilicet est repetendus, quod et romanam majestatem referant, et partes instituendae humanitatis divino consilio Romanis demandatas usque adeo exerceant, dum stabit genus hominum; quis unquam eos disjunget ab Italia? Praesertim cum aut ipsa in Italia magna ex parte ortum habuerint, aut alibi natos Italia exceperit litterisque instituerit.

Qui quidem quanto in honore in Italia praecipue sint habendi, hinc patet, quod semel et iterum effecerint, ut Italia ubique terrarum totius humanitatis magistra communi omnium plausu laetitiaque appellaretur; primum quidem, vigente populi romani Republica, cujus dignitatem eximiamque virtutem, velut imaginem in speculo, totam in se exceperunt, ut rursus quam fidelissime aliis exhiberent; iterum vero cum, post longam temporum noctem, majores nostri, saeculo decimo sexto, eos ad

Digitized by Google

pristinum revocarunt honorem, et pene ab interitu vindicatos, quasi splendidissimam facem ad tenebras omnium populorum dissipandas sustulerunt. Quo quidem argumento satis superque declaratum est, Romam, sacra classicorum auctorum phalange illa superstite, morte omnino non excidisse, idque dumtaxat amisisse, quod odii atque invidiae sibi apud populos armis exercitibusque suis pepererat. Vivit enim, quando omnes late populos per classicos suos scriptores sub ditione sua hodie dum continet: ejusmodi vero imperium exercet, quod certatim quisque amplectatur, quumque intelligat nunquam se gratiam ei tantam referre posse, quantam debeat, tantam saltem habeat, quantam maximam animi capere possint. Latini enim classici scriptores plenissimam faciunt fidem, veteris Romae non inde magnitudinem repetendam esse quod armis tot populos domuerit; sed ex eo quam maxime, quod, cum ad humanitatem populis inferendam divinitus sese incitatam senserit, in eum sane scopum totis incubuerit viribus. Tantum enim saeculo XVI de barbarie triumphum per classicos suos scriptores, non militum copiis, nec caede hostium retulit; quod quidem illustrius est, quam ut olim romani duces, direptis deletisque oppidis, captivos reges ante suum currum in Urbem agerent, quos aut carceri in perpetuum manciparent, aut lictoribus laqueo traderent necandos.


Quo igitur pacto cum classicis nos latinis scriptoribus agemus? Cum docti homines ubique locorum certant, ut sua in illos studia infinitis prope modis declarent, num nostrae partes desiderabuntur? Neminem enim latet, nobilissimum quodque ingenium, in Germania praesertim, hoc pensi sibi jamdiu sumpsisse, ut eorum opera quam diligentissime mendis librariorum expurget, sententias ad coëvam historiam exquirat, sensum explanet, omnigena praeterea muniat eruditione. At illi tamen classicorum ingenium expendere possunt, vi dicendi arcanaque ea virtute allici, qua animum inusitata suavitate per-

mulcent; ad haec genus illud suspicere pulcritudinis, quae tot elapsis saeculis viret adhuc nec ullam metuit temporis jacturam; adde etiam, qua eos prosequuntur, admirationem, quove colunt, obsequium. Sed hoc confiteantur necesse est, latinos classicos scriptores non aliter sibi adjungere potuisse, quam jure hospitii, sacro illo quidem et inviolabili, tamen infra eas leges quibus natura cives cum civibus sociat, parentes cum filiis. Nobis enim italis, nobis, Auditores humanissimi, datum est, nec temere opinor, ut iisdem auris vescamur quibus illi usi sunt, easdem teramus vias, eodem sole illuminemur, et quod maximum est, eo ipso, qui per illorum venas olim fluxit, vita nostra sanguine constet. Ex quo fit, ut ex una parte nemo melius eorum sensus, dignitatem, splendorem pulcritudinemque virtutis percipere possit; ex alia vero nemo eos majori studio, potiorique obsequio et amore prosequi debeat. Et ita quidem factu est opus. Nam si alicui hominum tantus thesaurus concreditus esse putandus est; nobis, qui communi cum illis et origine et patria gloriamur, hoc sorte contigisse certum est. Nisi hujusmodi judicium majoribus nostris alte in animo insedisset, numne actum jampridem non esset de latinis litteris, et proinde de ea, quae in omnes barbaras gentes humanitate inde longe lateque effluxit? Quid aliud immortalitati commendavit, ut cetera Italiae lumina praeteream, Vidam, Muretum, Bembum, Fracastorium, Sadoletum, Politianum, Casam, Flaminios? Quid cives nostros, Pontanum, Sannazarium, Scipionem Capycium, Fascitellium? quid postea Mazochium, Majellium, Rosinium, Giannattasium, Ciampittum, nisi studium in classicos latinos scriptores?

Eja igitur, Juvenes ornatissimi, quoniam ad vos pars haec postrema orationis pertinet: alacri magnoque animo contendite, ut hanc gloriam Italiae nostrae propriam, vobis omni cura a majoribus conservatam, integram incolumemque posteris tradatis. Nondum satis est. Quidquid animi, quidquid virium in

Digitized by Google

me est, quidquid homines prudentissimi de hac re legum sanctione statuerunt, id omne in vestrum usum cedit, ut studio classicorum latinae linguae scriptorum ad sapientiam veterum Romanorum atque dignitatem informati, in pristinum ipsum honorem Italiam reducatis. Hoc Italiae fata a vobis poscunt, hoc idem vobis ipsi debetis. — Quod felix igitur, faustum fortunatumque sit: classicos latinos scriptores, veluti parentes, obsequio, curis omnibus, amore complectimini. Sic sane accidet, ut illorum gloria vobis, vestra patriae affulgeat, meque ipse aliquid fecisse arbitrer, si modo ad iter hujusmodi vobis hac oratione stimulos adjecerim.


710363

Digitized by Google